8. 12. B. 18 1-4

Digitized by Google

Digitized by Google

842. B. 18

ECCLESIA S. LAVRENTII IN FONTE DE VICO PATRICIO

ILLVSTRATA

A Florauante Martinello Romano.



ROMAE, Ex Typographia Reu. Cam. Apoſt. 1629.

Superiorum Permiſſu.

tiunculæ cauſſa, ipſe gerens, meritò TE, Illuſtriſsime PRINCEPS, eligere debui, quem in ſacris ædibus, religioſisq; conuentibus reſtaurandis; in pauperum dotandis, ditandisq; domicilijs; in egenis, ægrisq; munifica pietate fouendis liberaliſsimum eorundem diſtributorem Roma celebrat, Orbis admiratur. Laurentius non nomine ſed munere, non veſte ſed ſanguine purpureæ dignitatis decus obtinuit; TV tàm virtute et titulo, quàm meritis et colore idem aſſecutus. Accipe igitur, Cardinalis ampliſſime, exile hoc munuſculum multis tibi nominibus debitum: tùm quia D. Laurentij, quem factorum liberalitate exprimis; tùm quia ab eo dedicatur, qui tuo ſe patrocinio totum debet, totum vouet, totum conſecrat.

ECCLE-

Google

ECCLESIA S. LAVRENTII IN FONTE DE VICO PATRICIO.

ECCLESIAE S. Laurentij de Vico Patricio notitiam daturus, aliqua priùs de Vico, locisq; tàm apud Gẽtiles, quàm Chriſtianos celebrioribus præmittenda duxi, quæ & lectorem antiquitatis amantem delectare, & Eccleſiæ ipſi celebritatis aliquid ac venerationis conciliare poſſunt: Nec ipſe fortaſſis reprehendendus, ſi in ſacris recenſendis, profana, ex

Digitized by Google

quibus ſacra reſurgunt clariora, tracta-
re aggrediar.

VICVS QVID

Ex Varr. & Valla eleg. lib. 4. c. 20.

A Vico igitur, in quo Auctores omnes hanc Eccleſiam conſtituunt, exordium ſumens, illum non viam, vt aliqui cenſuerunt, ſed vrbis eſſe partem, ex vtriſque viarum lateribus, ædificijs inſtructam, compertum habeo: Hinc & Panuinius alijq; ſcripſerunt, Regiones in Vrbe Roma conſtitutas fuiſſe ex Vicis, Vicosq; ex vijs, quas Vici circumhabebant. Quare non viam illam ſolummodo, ad quam ex Subura à ſiniſtris ingredimur, ac inter Viminalem & Exquilinum Colles vſque ad Hortos Perettinos progredimur; ſed omnem locum illum cliuoſum Exquiliarum in Occidentem obuerſum cum inferiori valle inter dictos colles vocandam crediderim PATRICIVM VICVM. Patricij verò nomen obtinuit à Patricijs, qui iubente Tullio Rege ibi habitauere, vt, ſi

VICVS Patricius.

quid

quid aduerſus ipſum molirentur, ex locis ſuperioribus opprimi poſſent.

Quædam de PATRICIIS lector fortè deſideraret,& ipſe multa lubẽs darem, niſi variæ veterum opiniones de Romanæ gentis origine, progreſſu, ac diſtributione, tum Senatorum Patrumq; conſtitutione, quæ ad hanc Ædis notitiam non ſpectant,confuſionem adferrent: cum interim ſcire ſufficiat, illos, qui genere, opibus, potentia,auctoritate plurimum poſſent, rerumq; geſtarum gloria excellerent, à Romulo fuiſſe conſtitutos Senatores, & honoris,atque virtutis cauſſa appellatos Patres, eorumq; genus, & progeniem, Patriciam appellatam. PATRICII qui dicantur.

Confirmat quę dixi de Vico,CLIVI, qui vocatur VRBICVS, appellatio;quam nõ aliũde sũpſerũt veteres auctores niſi ab Vrbis dignioribus incolis,qui Patricij fuerunt. Et ANGIPORTVS Patricius, CLIVVS Vrbicus.

ANGIPORTUS Patricius. *Ab Alexan. genial. l. 6. cap. 18.*

qui idem eſt ac via anguſta & flexuoſa, vel exitum non habens, fruſtra quidem conſtitueretur in Vico, ſi Vicus non differret à via. Cæterùm ſi via, vbi ſita eſt Eccleſia S. Laurentij in Fonte, aliquot ſeculis vocitata fuit Vicus Patricius, impropriè huiuſmodi nuncupationem obtinuiſſe crederem, quam ſequutus D. meus Flaminius Figliuccius felici auſpicio cecinit.

VICVS Vrbanus.

Patricium à Patribus Vicum dixere Quirites,
VRBANVM VRBANO à Principe Roma vocat.

Tandem VICVM hunc aut Patricium, aut VRBANVM in Regione ſecunda Suburana, ſeù quarta Eſquilina comprehendi iuſſit Seruius Tullius, qui Vrbem in quattuor Regiones diuiſit: Cæſar Auguſtus, qui eandem ampliauit, in quinta Exquilina conſtituit: Et hoc temporis in ſecundam, quæ Montium appellatur, adſcribi videmus.

LVCVS Fagutalis.

Mihi ad alia deuenienti occurrit LV-

CVS

cvs Fagvtalis, qui fuit in ea Cliui parte, quæ Ædi D. Laurentij incumbit, vbi Iouis erat Sacellũ; quãuis alij Fagutalis Iouis Templum arbitrentur, cuius mẽtionem vidi Romæ in Muſeo clari, eruditiq; viri D. Martij Mileſij Sarazanij in antiqua hac inſcriptione . .

. . AVGVST. VICT. IOVIS. FAGVTA . . . .
. . MP. NERVA. DIVI. NERVAE. F. TRAIA . . . . .
ACICO. PONT. MAX. TRIB. POT. XIII. IMP. VI.
.POLLIONIS.TRIB.PLEB.AED.REG.III.VETVSTA....
AGISTRI.ANNI.CXXI.SVA.IMPENSA.RESTITVT...
PHOEBVS A. NONIVS. L. ONESIMVS
CALLISTVS L. VALER. EVTICHVS.

Ad Iouis ſacellum Seruius Tullius Regiam habebat, ad quam ipſe, cùm in ſummo Cyprio Vico ex facinore Tulliæ filiæ interemptus occubuit, regrediebatur. Nec deſunt qui exiſtiment in Carinarum ambitu Regiam Seruij ſitam fuiſſe prope ſceleratum Vicum; quò & illud Ouidij ſpectat. *lib. 6. Faſt.*

Regia Tullij.

Ipſe ſub Exquilijs; vbi erat ſua Regia, cæſus
Concidit in dura ſanguinolentus humo.

Hinc

REGIA Tarquinij Superbi.

Hinc non procul, & forſan in eadem Regia Seruij, Tarquinius Superbus habuiſſe domicilium videtur, cum ad eundem Lucum Fagutalẽ Antiquarij omnes illud ponant, & Fuluius canat.

lib. 1. Antiq.

Stabat in Exquilijs ſublimis Regia Tulli
Condita mox vbi deteſtabilis AVLA SVPERBI
TARQVINII *ad Vicũ, q̃ dicitur Vrbicus: unde*
Pars illa aggeribus ſtabat tutiſsima Regis.

DIANAE Templum.

TEMPLVM DIANAE (idem quod Iunonis Lucinæ) in hoc Vico collocatur à Plutarch. his verbis

Rom. QQ. in 3. quæst.

De multis, quæ Romæ ſunt Dianæ Templis, id ſolum non intrant viri, quod eſt in Vico Patricio.

cauſam prohibitionis ingreſſus exponit ſubiungens.

Narrant enim mulierem ibi Deæ cultum exhibentem à quodam vi fuiſſe compreſſam, eumq; a canibus di-

Digitized by Google

diſcerptum; inde ſuperſtitionem natam, ne viri eò intrarent.

Fuerunt (inquit Fuluius) præterea in Exquiſijs iuxta Viminalem (certè in Cliuo Vrbico) LVCVS LARVM, QVERQVETVLANVM SACELLVM, LVCVS MEPHITIS, ET IVNONIS LVCINAE, de quorum vltimò Ouidius in Faſtis. LVCVS Larum. SACELLVM Querquetulanum. LVCVS Mephitis. LVCVS Iunonis Lucinæ. *lib.2.*

Monte ſub Exquilio multis inceduus annis
Iunonis Magnæ nomine Lucus erat.

Quid quod & LAELIAE DOMVS in Patricio Vico meminit Martialis? DOMVS Læliæ:

Sed domus in Vico Lalia Patricio. *lib.10.epig.68.*

INCERTI ÆDIFICII lapideum, ſyncerumq; teſtem affert Pompeius Vgonius repertum in Æde S. Pudentianæ, dum Henricus S.R.E. Cardinalis Caetanus illam reſtaurandam curabat, & ſic ſe habet. AEDIFICIUM incertum.

.. S. VAL. MESSALA. V.C. PRAEFECTVS VRBI. ..... SPLENDOREM. PVBLICVM IN VICO. PATRICIO. VICTORIAE. ET. FIERI. ET ORNARI. PROCVRABIT. *Refertur etiam à Gruter. pag. 174.9.*

Hoccè

Floralis Ludi.

Hoccè in Vico Lvdos Florales in honorẽ Floræ ex Oraculis Sybillinis, vt feliciter omnia effloreſcerent, à Romanis inſtitutos & celebratos, aut in proximo Vico, auctores ſunt Alexander ab Alexandro [a] & Domitius Calderinus [b].

a li. 6. Gen. c. 18.
b Ad Mart. ep. 72 lib. 7.

Peregrini vbi excepti in Vrbe.

Tom. 2. Annal. pag. 127.

Sed & Card. Baronius, Peregrinos Romam venientes hoſpitari ſolitos ſiuè in Viminali Colle, ſiuè in Exquilino eidem proximo, ex Iuuenali autumat; quare conijcere poſſum vel in loco à noſtro Vico non diſtanti, vel in viſceribus magnarum Domuum Patricij Vici eorundem hoſpitium fuiſſe. Verba Purpurei Hiſtorici lubet afferre.

Certè quidẽ Peregrinos, qui ex Oriente Romam veniebant, hoſpitari ſolitos in Viminali Colle, vel in Exquilijs eidem proximis, Iuuenalis his verſibus perſpicuè oſtendit.

Sat. 3.

Hic

IX.

Hic alta Sycione, aſt hic Amidone relicta
Hic Andro, ille Samo, hic Trallibus, aut Alabandis
Exquilias, dictumq; petunt à Vimine Collem
Viſcera magnarum Domuum, Dominiq; futuri.

Profanis omiſsis ad ſacra deueniēs, illuſtriora profero, & ſanctiora.

Thermae Timothei, & Novati fratrum SS. Pudentianæ, & Praxedis licèt ad Viminalis radices ſitæ ſint, nulli dubium, quin poſt illarum dedicationem in Eccleſiam, cuius frons in Vico Patricio ſe offert, ad hunc pertineant: Hîc Petri Principis Apoſtolorum prior ſedes, qui & in peculiari dicti Templi Ara rem diuinam facere cōſueuit: Hùc fidelium ſacroſanctum Euchariſtiæ ſacramentum chriſtiano ritu ſumere volen-

Thermae Timotinæ; & Nouatianæ.

lentium concurſus: Hìc 3000. ſanctorum Martyrum requies.

S. CLETVS PP. de Vico Patricio.

Succeſſorem Petri vniuerſo chriſtiano populo peperit Vicus Patricius; is fuit ſanctiſſimus CLETVS, qui patria Romanus, de REGIONE VICI PATRICII, Pōtificium onus ſuſcepit inuitus, lubens reliquit martyrio coronatus.

IMAGO Mariæ Virginis per Vicum Patricium.

In hoc Vico non impuriſſimæ Floræ ludos, ſed VIRGINVM REGINAE puriſſimę glorioſiſſimum TRIVMPHVM celebratum vidit vnuſquiſque ferè noſtrum, tùm, quando illius ſacratiſſima Imago manu D. Lucæ depicta è Baſilica Liberiana in Vicum Patricium, Curia omni Romana comitante, aduecta, per Suburanum Cliuum ad celeberrimum Pauli V. Sacellum, ſolenni pompa translata fuit.

ECCLESIA S. Euphemiæ.

TEMPLVM S. EVPHEMIAE cum clauſtro ſanctimonialium inter Sanctæ Pudentianæ, & Sancti Laurentij Ecclе-

cleſias Antoninus Pontus, alijq; Mirabilium Vrbis auctores collocant; & ibi, vbi adhuc in quadriuio illius veſtigia cernuntur, fuiſſe Puteum ſerpentibus,& ſcorpionibus repletum,in quem dicta Sancta proiecta, indeq; illæſa fuit extracta, memoriæ tradiderunt: Incertum Cardinali Baronio, cuinàm Euphemiæ dedicata fuerit hæc Ædes, dum in notis Martyrologij, occaſione alterius Euphemiæ, hæc inquit. *Die 16. Septembris.*

Romæ itẽ ad radices Exquilini Collis hactenus perſeuerat eiuſdem (Euphemiæ) *Eccleſia, niſi magis placeat dicere plures fuiſſe Euphemias.*

Eccleſiae S. Laurentij deſcriptio.

Hinc ad Suburam progredienti Ecclesia S. Lavrentii In Fonte conſpicienda traditur. Hæc ingreſſum ex marmore tiburtino non anguſtum, nec inelegantem habet; ſpatium interius mediocre, totum concamera-

tum

tum cum vnica tantùm Ara maiori, eamq; in Presbyterio, ſimili concameratione tecto, habet: ſupra præcipuum oſtium, nobilem Chorum muſicis cõcentibus accommodum: dextrorſum in ingreſſu Eccleſiæ, Sacrarium: ad Altaris digniorem partem, deſcenſum per anguſtos gradus in Cryptam: parietes tectorij operis: pauimentum lateritium marmoreis lineis intextum.

Crypta Nepotiana

Ambigerem, an hìc, vel hinc non longè ſub Nouati thermis in Vico Patricio fuerit Crypta Nepotiana, ad quam, egreſſus S. Laurentius è Vico Canario, audienſq; multos Chriſtianos ibi fuiſſe adunatos, acceſſit cum rebus, quæ eſſent Sanctis neceſſariæ, ibiq; comperit eſſe homines promiſcui ſexus fermè ſeptuaginta tres, ambigerem, inquam, niſi Surius hæc ſcribens, nulla amplius habita mentione dictæ cryptæ, ſubiungeret.

Vale-

Valerianus tradidit Laurentium Hippolyto cuidam Vicario in cuſtodia aſſeruandum, isq; incluſit eum cū multis alijs - Multi cæci venerunt ad B. Laurentium flentes, isq; in Hippolyti cuſtodia imponebat oculis eorum manum ſuam, et illuminabantur -- B. Laurentius baptizauit Hippolytū --- et baptizati ſunt in domo eius promiſcui ſexus decem et nouem.

Immò, cum alterius veneratio apud nos in hoc Vico non extet, exiſtimo eãdem Cryptam Nepotianam ad noſtrum Hippolytum forſan aliquo iure pertinuiſſe, vel ipſiusmet Domus viliſſimam partem & pertimeſcentium Chriſtianorum refugium fuiſſe, qua poſtea Hippolytus loco carceris vſus fuit ad Lucilli, Laurentij, aliorumq. cuſtodiam: Domum verò in ſuperiori & no-

biliori Cliui Vrbici parte collocatam reor.

CLIVVS Virbius. Hinc in eam facilè adducor ſententiam, Auctores illos, qui CLIVVM Vrbicum appellauere VIRBIVM, vel à Virbio Deæ lucis annexo (ſicut eſt Veneri Adonis, & Leucotheæ Mephitis) vel à domo noſtri Hippolyti, qui idem ac Virbius, & quaſi BIS VIR, Cliui denominationem ſumpſiſſe: habet enim quid ſimilitudinis cum fabuloſo Hippolyto, de quo Ouid.

VIRBIVS quid.

Metam. 15.

quique fuiſti
Hippolytus, dixit, tunc idem Virbius eſto.

Hic à Phædra nouerca per calumniam apud patrem; Noſter per fidem ad Valerianum delatus fuit: Hic patris iram veritus, conſcenſo curru, fugam arripuit; Noſter diuinam legem edoctus, ſuſcepto baptiſmo, fideiq; lumine illuſtratus pro veritate tormenta non reformidauit: Hic ab equis ex incuſſo pa-

uore

uore conſternatis, implicatus habenis, iuxta maris litus dilaceratur; Noſter, ex immanis tyranni ſententia, indomitis equis ligatus, iuxta Vrbis mœnia per vepreta & loca ſaxea dilaniatur. Huius vices miſeratam Dianam ad vitam eũ reuocaſſe Gentiles fabulantur; Noſtri ſalutis ſolicitum Laurentium ex aqua & Spiritu ſancto illum Chriſto regeneraſſe Catholici profitentur. *Ioan. 3.*

Sed ò fauſtæ rerum tuarum vices Hippolyte, poſtquam abiurata infidelitate, in veram fidem iuraſti! ante vinculis conſtrictum, caligine ſeptum tenuiſti Laurentium; ille te Ethniſiſmi poſtmodum vinculis & errorum caligine liberauit: antea durus Martyris cuſtos; poſtea eius Martyris comes: tua ante domus Sanctorum ergaſtulum; poſtea Sacrarium Religionis. cui non parum à felici nominis auſpicio acceſſit dignitatis ac venerationis, quòd no-

ui iam Hippolyti Cardinalis ampliſſimi traditum ſit tutelæ. Et benè profectò eſt, quòd communicato ſibi inuicem patrocinio foueantur Hippolyti; vt cum ille Hippolytvm hunc Protectorem reperiat in terris, hic illum habeat fautorem in Cælis; Quod in argumentum facundiſſimus Hiberníci Collegij alumnus D. Chriſtoforus Chamberlinus ita luſit.

Virbivs Hippolytvs, *quaſi Vir bis nominis omen*
Quam verum! qui vir robore binus erat;
Cui, poſt martyrios, peperit quā palma triūphos;
Mortis & inuicto pectore tempſit opus.
Tergeminum Heryonē nō corpore, pectore dices:
Virbius vt ſit iā Virtrivs Hippolytvs.
Tergeminam geminat virtutē ſic modo; quando
Tutela Hippolyti *traditur Hippolytus.*

Plura inuictiſſimi Martyris Hippolyti virtus exoptaret, quæ lubentiſſimè proferrem, niſi ad reliquam Eccleſiæ notitiam recenſendam ab inſtituto

narra-

narrationis incitarer; ac niſi D. Flaminius Figliuccius illa, hac die S. Laurẽtio ſacra, peculiari libello publicè expoſuiſſet. Ad illum igitur remittens Lectorem ignoro, cur affirmauerit in ipſomèt libelli principio, trium dumtaxat Hippolytorum ſolennia celebrari ab Eccleſia, cum quinque de martyrio triumphaſſe clarè pateat ex Martyrologio, in quo infraſcripti numerantur, Primus presb. & m. Antiochiæ 30. Ian. II. Martyr in Africa 3. Februarij. III. de quo agimus, m. Romæ 13. Aug. IV. Epiſcopus Portuenſis m. 22. Aug. V. Martyr Romæ 2. Decembris.

Hippolyti V. Martyres.

Nec Aurelium Prudentium, quem D. Figliuccius allegat, mihi videre contigit hoc aſſerentem; ſed vnum ex tribus Hippolytis facientem, vt etiam vidit obſeruauitq; Baronius in notis ad Martyrologium.

Him. 11.

Ad Eccleſiam rediens neminem ha-

Die 13. Auguſt.

ctenus illius FVNDATOREM inuenire potui; firmiſſimè tamen credo vel viuente Laurentio, vel ſub illius martyrium; eccleſiaſtica munia hìc à Chriſtifidelibus exerceri cæpta; ac velut ſacrum locum ab eiſdem frequentatam fuiſſe Eccleſiam ex Lipomani verbis.

ECCLESIAE S. Laurentij Fundatores.

Cum vero in carcere concluſus eſſet Laurentius multi ægrotantes, et varijs morbis vexati ad ipſum veniebant, multiq; ab eo curabantur: quo loco Templum conſtructum fuit, et Sacerdotes Deo conſecrati ſanctum Laurentium pauperum, et ægrotantium nutritorem appellabant. Et ex Philippi Ferrarij. *Hippolytus conuerſus, et baptizatus ab eodem Laurentio (quem martyrio affectum vnà cum Iuſtino Presbytero ſepeliuit) dum domi ſuæ Euchariſtiam ſumeret; cō-*

Tom. 7. edit. Roman. an. 1559.

pre-

prehenditur, et ad Valerianum adductus, etc.

RESTAVRATOREM verò Fr. IOANNEM Aluarez de Toleto Hiſpanum Ordinis Prædicatorum S.R.E. Cardinalem, eius marmorea inſignia in fornice, & pauimento declarant; niſi illam iterum à fundamentis ædificaſſe aliquis credere velit.

EIVSDEM Reſtauratores.

Duplex nomen obtinuit Eccleſia S. Laurentij; in Fonte, & in Carcere: IN FONTE, ex aqua, qua D. Laurentius Lucillum prius, mox Hippolytum, eiuſq; familiam baptizauit. Eandem appenſus in Eccleſiæ fronte titulus, fideliumq; deuotio ad preces D. Laurentij mirabiliter erupiſſe arbitratur; præſertim cū multi febribus, alijsq; morbis affecti, illius hauſtu, ſalutem obtinere comperiantur. A CARCERE appellatur, non ex aliquo carcere publico in hoc Vico exiſtente; cum nulli præter

DVPLEX denominatio.

in not. Martyr. die 14. Martij.

recenſitos à Cardinali Baronio reperirentur tunc temporis in Vrbe; ſed à domo Hippolyti, quam carceris loco ipſe Laurentio, cæteriſq; aſſignauit.

EANDEM quis incoluit.

Eandem priùs incoluiſſe SACERDOTES SECVLARES clarè demonſtrant ſupradicta Lipomani verba. quamdiù verò incoluerint non ſatis exploratum habeo. Ad MONIALES perueniſſe, ibiq; regularem diſciplinam viguiſſe notiſſimum eſt ex inſcriptione ſepulcri cuiuſdam Abbatiſſæ reperta dum à Congregatione Vrbana aliud effoderetur; quam ad perpetuam rei memoriam in Eccleſiæ ingreſſu Congregatio collocari voluit, placuitq; mihi hìc regiſtrare.

HIC REQVIESCIT CORPVS
VEN. DD. R. FRANCISCAE DE VALLATIS
ABBATISSAE HVIVS VEN. MONASTERII,
QVAE OB. A. D. MCCCXCIV. D. XIV. FEB.
CVIVS ANIMA REQVIESCAT IN PACE. AM.

Nec inferri ex hac inſcriptione potuiſſe

tuiſſe cenſeo, (vt in D. Figliuccij epi- *in d. libello.*
ſtola ad Lectorem) Moniales Ordinis Sancti Benedicti è Monaſterio S. Agnetis huc fuiſſe tranſlatas 300. abhinc annis; quia ibi nulla de S. Agnetis, deq; Monialium tranſlatione, ac Ordine S. Benedicti mentio extat: immo in aliquibus contrarium probatur ex M.S. monumento Canonicorum Regularium apud S. Petri ad Vincula, cuius partem à me tranſumptam affero.

Domus et monaſterium S. Laurentij in Fontana, in quo olim ſtabant Moniales, et quod fuit centum et pluribus abhinc annis vnitum monaſterio S. Agnetis extra muros Vrbis, vt moniales S. Laurentij ſubeſſent Abbatiſſæ S. Agnetis, à Sixto IV. ſtante mala vita monialium S. Laurentij, fuit ſuppreſſum, et monaſterio S. Agnetis

ac

ac S. Petri ad Vincula cum iuribus ſuis, et pertinentijs incorporatum fuit Quod fuit à dictis Monialibus S. Agnetis habitatum, et illis per Priorem, et Fratres tunc S. Petri ad Vincula de expenſis prouiſum; Sed poſtmodum à Canonicis S. Mariæ Maioris occupato dicto Monaſterio, et Eccleſia S. Laurentij, fuit lata ſententia ad fauorem dictorum Prioris, et Fratrum de Anno 1518. vel 1519.

Nec probari poteſt, Canonicos Regulares S. Petri ad Vincula Ordinis Sãcti Saluatoris, poſt dictas Moniales, Monaſterij & Eccleſiæ poſſeſſionem adeptos fuiſſe; cum Fratres S. Ambroſii ad Nemus, qui tunc Eccleſiæ S. Petri ad Vincula regimẽ, & adminiſtrationẽ habebant, Ædem quoque S. Laurentij poſſederint ab anno 1479. vſque ad annum

annum 1485. Eiſdem ſucceſſerunt CANONICI REGVLARES præfati, qui anno 1489. ad S. Petri ad Vincula fuerunt vocati ab Innocentio Octauo, precibus Iuliani Cardinalis de Ruuere. Hi Canonici pacificè S. Laurentij Ædem poſſederunt vſque ad annum Chriſti 1627. & quartum Pont. Sanctiſſ. D.N. VRBANI PAPAE VIII. qui eandem conceſſit quibuſdam FRATRIBVS RVTHENIS: Iidem vel nunquam illius poſſeſſionem accepère, vel acceptam breui retinuerunt; quippe idem Pontifex die 14. Iunij 1628. præuia reuocatione conceſſionis Fratribus Ruthenis factæ, Eccleſiam præfatam S. Laurentij cum omnibus ſuis iuribus, bonis, redditibus, prouentibus, emolumentis, ac certis oneribus conceſſit CONGREGATIONI VRBANAE. Verùm quia Prior, & Canonici S. Saluatoris prætendebant, dictam Eccleſiam S. Laurentij à centum,

Ex Conſt. & ſi ex Paſtoralis. Sixti Quarti non. Martij Põt. Nono.

Vide eius conſt. Romanus. 5. idus Aug.

Et Mozzagrug. Hiſt. Can. reg lib. 2. p. 52. & lib. 7. p. 29.

& am-

& amplius annis huiuſmodi Apoſtolica auctoritate vnitam fuiſſe Eccleſiæ eorumdem Monaſterij, ob idq; conceſſionem præfatam viribus non ſubſiſtere; illam Pontifex effectum ſuum ſortiri voluit, ſolutis ſingulis annis dictis Priori, & Canonicis lib. quinque ceræ albæ die feſto S. Laurentij à dicta CONGREGATIONE VRBANA in directi iuris recognitionem.

ALIA Eccleſiæ reſtauratio.

Hæc Congregatio reſtaurationem Eccleſiæ aggreſſa, viam, præ foribus, ſilicibus ſternendam curauit apud Sanctiſſimum VRBANVM VIII. quam ideò VRBANAM VIAM inſcripſit: Eccleſiæ partem anteriorem, & interiorem præſenti ſplendori reſtituit: Chorum Sacrariumque addidit: Sepulcrum ſibi effodit cum hoc epitaphio in ſuperimpoſito lapide.

D. O. M.

CINERES AVLICORVM CONGREGATIONIS VRBANAE IN HOC VESTIBVLO IMMORTALITATIS EXPECTANT DVM IN AVLAM REGIS REGVM ADITVM INVENIANT.

Vrbanam hanc Congregationem pro ſenioribus Aulicis Romanam Curiam ſequentibus Franciſcus Epiſcopus Portuenſis S. R. E. Card. Sfortia erigendam protulit Sanctiſſimo Vrbano VIII. Pontifici, qui illam amplexus Reuerendiſs. PP. DD. Mancino, & Sarego antiquis Aulicis, & Sacræ Viſitationi Apoſtolicæ Præfectis negotium erectionis commiſit. Ab eiſdem re pluries diſcuſſa, & ad Sanctiſſimum relata, idem benignè approbauit, & Vrbanae titulo cõdecorari voluit, litteris ſub Anulo Piſcatoris expeditis, & in fine præſentis opuſculi inſertis. Vrbanae Cong. primordia.

Erectio in Eccleſia S. Nicolai ad Cæſarinos priùs approbata in hac S. Laurentij in Fonte perſeuerat. & cum

ſuos

SANCTI Tutelares.

ſuos Tvtelares & Patronos elegerit Ss. Ioannem et Pavlvm Romanos Ciues, & Aulicos Conſtantiæ M. Conſtantini filiæ, illorum feſtum diem 26. Iunij ſolenniter celebrat; pariq; cultu celebritatem feſti S. Laurentij die 10. Auguſti veneratur.

VTILITAS neceſſitas, & excellentia.

Non eſt cur inſiſtam in explicanda Vtilitate, Necessitate, et Excellentia illius Congregationis in hac Vrbe, tum quia D. Franciſcus Leuera eruditè enucleauit in peculiari libello; tum quia primum inſtitutum pietatis charitatiſque limitibus nimis anguſtis ſeptum, latiores deſiderare Aulici dictæ Congregationis experiũtur: qui ideò maiora ſibi præſcribenda ducentes, illos eorumdem exercitio, ac nouis legibus dilatare cogitant.

PRIVILEGIA.

Nec in recenſendis Privilegiis, & gratijs ab Apoſtolica Sede conceſſis

huic

huic Congregationi immorari iubet, cum copioſius, & certius à dicta VRBANI Conſtitutione haurire poſſis.

PROGRESSVS ex hac Congregatione prouenturi, licèt ab omnibus varijs ſibimet ipſis rationibus arridentibus, maximi credantur; illorum nihilominus certiſſimus fermè prænuncius videtur, quem affert dictus Leuera in par. 3. Enuncl. huius Congegationis his verbis. PROGRES-SVS.

Cum primores viri huic Congregationi aſcripti inter ſe priuatè, et nullius ductu à numeroſa Sanctorũ Aulicorum ſerie elegiſſent ss. Ioannẽ, et Paulum; ſignum præfinitæ cælitus protectionis, atq; ſuſceptæ tutelæ in eo primùm apparuit, quando Sanctiſſimus D. N. VRBANVS multò antea pro huius Congregationis approbatione rogatus ab Illuſtriſſimo

Card.

Card. Franciſco Sfortia, poſt longa omnium ſilentia, tandem ipſo die ſolennitatis eorumdem Sanctorum, diuino, vt credimus, conſilio, recordatus eſt huius Congregationis, eamq; approbare decreuit, et denunciare fecit ijs, qui huic negotio deputati, addictiq; iam fuerant, vt ad ſuam congrederentur auditionem, idq; etiam eodem die, diuino adiuuante Numine fuit pleniſſimè geſtum.

INDVLGENTIAE.

INDVLGENTIARVM certum quidquã inuenire non eſt; Leuera ſupracitatus ex antiqua traditione, ſcripturiſq; non è recentibus publicè in ipſa Eccleſia affixis, eandem, quam S. Sebaſtiani ad Catacumbas omnibus Dominicis diebus menſis Maij, habere affirmat: Credibile tamen mihi videtur, locum hunc, qui propter Hippolyti glorioſi mar-

martyris domum, Cryptam plurimorum martyrum incolatu celebrem, & Laurentij, aliorumque Sanctorum carcerationem maxima veneratione dignus cenſetur, maximis quoque Eccleſiæ theſauris à Romanis Pontificibus fuiſſe ditatum; verùm vt dixi, certas enumerare nequeo, præter conceſſas Congregationi VRBANAE, quas habes inſertas in ſubnectenda Conſtitutione.

PROTECTOREM ex S. R. E. Cardinalium Collegio Congregatio deligit; cuius priorem locum obtinuit OCTAVIVS Epiſcopus Oſtienſis, S. Collegij Decanus, Cardinalis BANDINVS: cui prima Auguſti 1629. defuncto ſucceſſit HIPPOLYTVS S. ANGELI IN FORO PISCIVM DIACONVS CARD. ALDOBRANDINVS S. R. E. CAMERARIVS non dignitate, quàm pietate maior; qui cum Prædeceſſorem auctoritate, religione, ac munificentia referat, Protectorem mutaſſe, non omiſiſſe ſacra- PROTECTOR.

C tiſſima

tiſſima hæc Ædes videtur.

INSIGNE. Tandem Congregatio hæc ſicut ab Vrbanitate nomen, ita à pietate deſumit INSIGNE, Diuorum ſuorum Tutelarium Ioannis, & Pauli clariſſimorum Martyrum figuris nobilitatum: qui & ipſi in pedes erecti, Romanòque induti ſago, ac galea tecti, altera manu victricem martyrij palmam, altera triumphale Crucis trophæum, ſacratiſſimo Chriſti nomine (per hieroglificum hoccè ſymbolum P) inſcriptum tenent. Huiuſmodi X illud erat, quod magno olim Conſtantino in Maxentiũ præliaturo cælitùs conceſſum fuit cum hac inſcriptione, IN HOC SIGNO VINCES, quod non ſuo dumtaxat exercitui præferri, verùm & in laureatis victorum militum coronis geſtari mãdauit: immò nec aliud Imperator ipſe in criſtatæ galeæ vertice, quàm chriſtianum hoc victoriæ ſignum prætulit.

INSTI-

INSTITVTIO

VRBANAE CONFRATERNITATIS

ab Aulicis Ro. Curiæ in Eccl. S Nicolai ad Caſarinos promota, illiuſq; ad Aedem S. Laurentij in Fonte tranſlatio, cum d. Aedis, & Indulgentiarum conceſsione.

Edita A. D. 1628.

VRBANVS PAPA OCTAVVS.

Ad perpetuam rei memoriam.

Aliàs hic Pōt. erexit. Confraternitatē Vrbanam in Eccleſia S. Nicolai ad Caſarinos.

ALIAS à Nobis emanarunt literæ tenoris ſubſequētis, videlicet. VRBANVS Papa VIII. Ad perpetuam rei memoriam. Paſtoris ęterni, qui pro gregis ſalute in ara Crucis immolari voluit, vices quanquam immeriti gerentes in terris pia Chriſtifidelium vota, Diuini cultus augmentum, & ipſorum fidelium ſalutem concernentia ad exauditionis gratiam libenter admittimus, eoſdemque fideles ad pia, & deuota opera exercenda Indulgentijs, & peccatorum remiſſionibus inuitamus, vt per operum huiuſmodi exercitium ad æternæ beatitudinis gaudia peruenire mereantur. Cum itaque, ſicut dilecti filij Almę Vrbis noſtræ Aulici Nobis nuper exponi fecerunt, ipſi peculiari deuotionis affectu ducti, & vt alios Chriſtifideles ad eiuſdem deuotionis ſtudium accendant in Parochiali Eccleſia Sanct. Nicolai ad Cæſarinos de Vrbe, vnam eorumdem Aulicorum Confraternitatem, Vrbanam nuncupandam, ad Dei gloriam, & honorem, ac animarum dictorum fidelium ſalutem per Nos erigi ſummopere deſiderēt, Nos pijs eorūdē Aulicorū deſiderijs huiuſmodi benignè annuere, animarumque ſaluti paterna charitate proſpicere, eoſdemque Aulicos ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſoluentes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus eorumdem nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati; in

Digitized by Google

prædicta Eccleſia vnam Chriſtifidelium Aulicorum dictæ Vrbis Confraternitatẽ Vrbanã nuncupatã, quæ non ſit pro hominibus vnius ſpecialis artis, ſine alicuius præiudicio Apoſtolica auctoritate perpetuò erigimus,& inſtituimus.

Cum facultate condendi ſtatuta, aliaq; vt hic faciendi.

§. 2. Necnon Confratribus dictæ Confraternitatis pro tempore exiſtentibus, vt proceſſionaliter incedere, Diuina Officia in ſuo Oratorio recitare, & pro ipſius Confraternitatis negotijs, ſe congregare, ac quæcumque Statuta, Capitula, Ordinationes, & Decreta pro ſalubri eorum, & dictæ Confraternitatis regimine,& adminiſtratione neceſſaria,& opportuna,licita tamen, & honeſta, ſacriſque Canonibus,& Concilij Tridentini Decretis,ac Conſtitutionibus Apoſtolicis non contraria per dilectum filium noſtrum in dicta Vrbe Vicarium in ſpiritualibus generalem examinanda, & approbanda facere, & edere, illaque pro tempore;prout eis videbitur, & expediens fuerit, præuia ſimili examinatione, & approbatione,mutare, alterare, corrigere, & in melius reformare.

Et legata recipiendi, ac illa,aliaque quoquomodo acquiſita regendi, & in pios vſus conuertẽdi.

§. 3. Ac inſuper omnia, & ſingula legata,relicta,res, & bona quomodolibet qualificata mobilia, & immobilia per quoſcumque Chriſtifideles dictæ Confraternitati per viam teſtamenti, donationis, aut aliàs quomodolibet pro tempore legitimè elargita, & relicta recipere, illaque per eorum Officiales, & deputatos regere, gubernare, & adminiſtrare, ac in ipſius Confraternitatis, & eius piorum operum vſus conuertere liberè ſimiliter,& licitè valeant;ita tamen, vt de receptis,& adminiſtratis per eoſdem eidem Vicario iuxta Decreta Concilij Tridentini huiuſmodi rationem reddere teneantur, auctoritate, & tenore præfatis concedimus, & indulgemus.

Eidemq;Indulgentias elargitur ſuis.

§. 4. Poſtremò, vt dicta Confraternitas maiora in dies ſuſcipiat incrementa, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis Chriſtifidelibus, qui dictam Confraternitatem inpoſterum ingredientur, die primi eorũ ingreſſus, ſi verè pœnitentes, & confeſſi Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, plenariam. Necnon pro tempore deſcribendis in dicta Confraternitate Cõfratribus, in cuiuslibet eorum mortis articulo, ſi verè pœnitentes, & confeſſi,ac ſacra Communione refecti,vel quatenus id facere nequiuerint,ſaltem contriti nomen IESV ore,

ſi po-

Digitized by Google

ſi potuerint,ſin autem corde deuotè inuocauerint, etiam plenariam. Ac eiſdem pro tempore exiſtentibus Confratribus, etiam verè pœnitentibus, & confeſſis, ac eadem ſacra Communione refectis, qui prædictæ Confraternitatis Eccleſiam, vel Capellam, ſeù Oratorium die feſto Exaltationis Sanctæ Crucis à primis Veſperis, vſque ad occaſum Solis feſti huiuſmodi ſingulis annis deuotè viſitauerint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac ſanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint,plenariam ſimiliter omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus, & elargimur. Inſuper dictis Confratribus, etiam verè pœnitentibus & confeſſis, ac ſacra Communione refectis Eccleſiam, vel Capellam, ſeù Oratorium huiuſmodi in Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis, ac Sancti Vrbani Papæ,& Martyris, & Sanctorum Ioannis, & Pauli,ac S. Antonij feſtis diebus,vt præfertur, viſitantibus,& ibidem orantibus, quo die prædictorum id egerint ſeptem annos,& totidem quadragenas. Quoties verò ipſi Miſſis, & alijs Diuinis Officijs in dicta Eccleſia, vel Capella, ſeù Oratorio pro tempore celebrandis, & recitandis,ſeù Congregationibus publicis, vel priuatis eiuſdem Confraternitatis vbiuis faciendis interfuerint,aut pauperes hoſpitio ſuſceperint,vel pacem inter inimicos compoſuerint,ſeù componi fecerint,vel procurauerint, necnon etiam qui corpora defunctorum tàm Confratrum dictæ Confraternitatis, quàm aliorum ad ſepulturam aſſociauerint, aut quaſcũque Proceſſiones de licentia Ordinarij faciendas,Sanctiſſimumq. Euchariſtiæ Sacramentum tàm in Proceſſionibus, quàm cum ad infirmos,aut aliàs vbicumq; & quomodocumq; pro tempore deferetur, comitati fuerint,aut ſi impediti,Cãpanæ ad id ſigno dato,ſemel Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam dixerint, aut etiam quinquies Orationem, & Salutationem prædictas pro animabus defunctorum Cõfratrum dictę Confraternitatis recitauerint, aut peccatorem aliquem ad viam ſalutis reduxerint,& ignorantes Dei pręcepta,& ea,quæ ad ſalutem ſunt,docuerint,aut aliud quodcumque pietatis,vel charitatis opus exercuerint, toties pro quolibet præfatorũ operum ſexaginta dies de iniunctis eis, ſeù aliàs quomodolibet debitis pœnitẽtijs in forma Eccleſiæ conſueta relaxamus

xamus; præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Quas nullas eſſe declarauit, ſi alteri vniretur Archiconfraternitati.

§. 5. Volumus autem, quòd ſi dicta Confraternitas alicui Archicōfraternitati aggregetur, vel quauis alia ratione vniatur, ſeù etiam quomodolibet inſtituatur, præſentes, & quæuis aliæ literæ Apoſtolicæ illis nullatenus, quoad Indulgentias & remiſſiones præfatas, ſuffragentur, ſed ex tunc eo ipſo prorſus nullæ ſint. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub Anulo Piſcatoris die xxx. Octobris MDCXXIV. Pontificatus Noſtri Anno Secundo.

Subinde Eccleſiam S. Laurentij in Fōte eidem conceſſit.

§. 6. Subindè verò poſtquam de anno proximè præterito, cupientes prouidere, vt Eccleſia S. Laurentij in Fonte nuncupata, in Regione Montiū de Vrbe, antiquitate, aliiſque pluribus nominibus venerabilis, debitis non careret obſequijs præuia reuocatione (quatenus opus eſſet) conceſſionis Eccleſiæ præfatæ aliàs de anno tunc præterito Fratribus Ruthenis per Nos factæ, Eccl. præfatā S. Laurētij, ſimul cum omnibus ſuis iuribus, bonis, redditibus, prouentibus, & emolumentis prædictæ Confraternitati ad vtendum in perpetuum, prout de ſimilibus Eccleſijs Laicorum Confraternitates, ſeù Congregationes ad ſacros, & pietatis vſus deſtinatæ vti conſueuerunt, ita tamen & non aliàs, vt ipſa Confraternitas Eccleſiam S. Laurentij præfatam in neceſſarijs reparare, & manutenere, ſacraque & ſufficienti ſupellectili prouidere, Miſſamque Dominicis, ac feſtis diebus ſaltem in ea celebrari facere teneretur, & quòd Eccleſiam præfatam S. Laurentij etiam ad pios vſus alijs concedere non valeret, & cum Decreto, quòd ſi quandocumque contingeret, Confraternitatem præfatam diſſolui reparationes, & mèlioramenta facta, & ad quamcunque ſummam aſcendentia eidem Eccleſiæ ceſſiſſe, & cedere ſine aliqua refectione intelligerentur, conceſſeramus.

Oppoſitis pro parte Canonicorum S Petri ad Vincula nō obſtantibus.

§. 7. Per Nos accepto, quòd occaſione cōceſſionis Eccleſiæ huiuſmodi inter dictam Confr. ex vna, & dilectos filios Priorem, & Canonicos Regulares Monaſterij S. Petri ad Vincula de Vrbe Congregationis S. Saluatoris Ordinis Sācti Auguſtini ex altera partibus orta fuerat controuerſia; cum nimirum Prior, & Canonici præfati prætenderent, dictam Eccleſiam S. Laurentij à centum, & amplius annis Eccleſiæ eorum Monaſterij huiuſmodi Apoſtolica auctoritate vnitam fuiſſe, ob idque conceſſionem præfatam viribus non ſubſiſtere: & redditus, ſeù Canonem Domus annexæ

dictæ

dictæ Eccleſiæ S. Laurentij ſingulis annis ſolui ſolitum per quondam Prudentiam Agazinam, & hæredes quondam Sanctis Mazzi, necnon dilectum in Chriſto filium Mitium de Gradibus Eccleſiæ dicti Monaſterij deberi; Nos conceſſionem Eccleſiæ S. Laurentij huiuſmodi per Nos, vt ſupra factam ſuum plenarium effectum ſortiri debere, ac Canonem præfatum dictæ Eccleſiæ S. Laurentij fore, & eſſe ſoluendum decreuimus, oppoſitis pro parte Prioris, & Canonicorum præfatorum minimè obſtan.

Cum recognitione directi iuris ad fauorē dictorum Canonicorum.

§ 8. Voluimus tamen quòd dicta Confraternitas, ſingulis annis à die conceſſionis, in recognitionem directi iuris ſolueret Eccleſiæ dicti Monaſterij libras quinque ceræ albæ die feſto eiuſdem S Laurentij, quòdque ſi contingeret, prædictam Confraternitatem diſſolui, ſeù à prædicta Eccleſia S. Laurentij recedere, iura Eccleſiæ dicti Monaſterij de & ſuper Eccleſiæ * S. Laurentij huiuſmodi illæſa, & illibata remanerent perinde, ac ſi conceſſio eiuſdem Eccleſiæ Sancti Laurentij per Nos, vt præfertur, facta non emanaſſet.

Et præmiſſa Pōtifex approbat, & confirmat.

§ 9. Cū autē, ſicut pro parte dilectorū filiorū, Officialiū & Confratrum Confraternitatis prædictæ Nobis nuper expoſitum fuit, ipſi plurimum cupiant, conceſſionem dictæ Eccleſiæ, ac Decretum deſuper emanatum, aliaque præmiſſa Apoſtolicæ noſtræ confirmationis robore communiri, ac aliàs ſibi per nos, vt infra indulgeri, Nos Officiales & Confratres præfatos ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, eorumque ſingulares perſonas à quibuſuis excōmunicationis, ſuſpēſionis, & interdicti, alijſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris & pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis; ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtūt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſoluentes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus illorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Conceſſionem Eccleſiæ S. Laurentij huiuſmodi, necnon Decretum à Nobis deſuper emanatum prædictum, aliaque præmiſſa cum omnibus in eis contentis, & indè ſequutis Apoſtolica auctoritate tenore pręſentium perpetuò approbamus, & cōfirmamus, illiſq; inuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adijcimus, ac omnes, & ſingulos tā iuris, quā facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet interuenerint, ſupplemus.

§. 10. Præterea eādem Confraternitatem, cum omnibus & ſingulis

& ſingulis Indulgentijs, ac peccatorum remiſſionibus, & pœnitentiarum relaxationibus, illi per Nos, vt ſupra conceſſis, è prædicta Eccleſia S. Nicolai ad Eccleſiam S. Laurentij huiuſmodi, necnon Indulgentiam ſeptem annorum, & totidem quadragenarum in Conceptionis B. Mariæ Virginis, & S. Antonij feſtis diebus per Nos ſimiliter conceſſam, ad eiuſdem S. Laurentij, & S. Hippolyti feſtos dies itaut dictæ Confraternitatis Confratres præmiſſa in ipſis feſtis diebus, ad quos translatio, vt infrà fiet, adimplentes eamdem Indulgentiam prorſus conſequantur, auctoritate, & tenore præfatis transferimus.

Decretūq; irritās apponit. §. 11. Decernentes præmiſſa omnia, & ſingula, necnon preſentes literas, & in eis contenta quæcumq validæ, firma, & efficacia exiſtere, & fore, ſuoſq; plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac eidem Confraternitati in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari; ſicq. per quoſcumq. Iudices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarū Palatij Apoſtolici Auditores iudicari, & diffiniri debere: ac irritum, & inane ſi ſecùs ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Obſtantia remouet. §. 12. Non obſtan. præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon quatenus opus ſit Monaſterij, & Congregationis huiuſmodi, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, Statutis, & conſuetudinibus, Priuilegijs quoq; Indultis, & Literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorū quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis: quibus omnibus, & ſingulis eorum omnium tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque.

Dat P.A. 5 die 14. Iunij. Datum Romę apud S. Mariam Maiorem ſub Anulo Piſcatoris, die XIV. Iunij MDCXXVIII. Pontificatus Noſtri Anno Quinto.

L A V S D E O.

ET SS. LAVRENTIO, AC HIPPOLYTO MM.

Errata:
Pag 3. *Vlt. verbum* non *corrige* qui.
pag. 4. *lin*. 14 *dele verbum* Suburana,
Pag. 15. *lin*. 18. Martyris *lege* Martyrij.